DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE Operatione Medicamentorum Mala & Contraria.

QVAM,

DEO FAVENTE

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. FRANCISCI FABRICII,

S. S. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS PUBLICI. UT ET ECCLESIÆ IBIDEM PASTORIS:

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè, ac legitimè consequendis,

Publico Examini submittit.

PAULUS BERNHARDUS NEUCRANTZ, Lubecensis

Ad diem 4. Maji, horâ locoque solitis.



LVGDVNI BATAVORVM.
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. M DCC VIII.



J. N. J.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

Operatione Medicamentorum mala & contraria.

PROOEMIUM.



ria sunt, quæ communiter quidem omnium ore assumuntur, quorum tamen in singulo corpore & diversa operatio & diversus effectus est. Primum ex illis Alimentum, corpus nostrum alit sanitatemque servat. Alterum Medicamentum labefactato corpori sanitatem recuperando, servat illud; Tertium quod Venenum est, turbat œconomiam corporis & destruit. Quam laudabilis autem duorum priorum operatio & ef-

effectus sit, hisce ipsis tamen venenosa & deleteria multis modis evadere possunt. Quemadmodum enim cibus & potus male in culinis præparati, debili ventriculo excepti, mala diæta abusi, necessaria alias & salubria nutrimenta in ipsum venenum degenerant, ita ut cum Plinio sæpius concludendum sit: Hominem cibo mori; Sic & id de medicamentis metuendum, quorum mala præparatio, omnem ipsorum vim & efficaciam invertere potest, quorum operationi tot peccantes humores ut fomites morborum resistunt, ut interdum docta arte medicamenta administrandi plus valeat malum, quorum denique importuna & illegitima applicatione, temerarii nonnulli, arma hæc, ad debellandos morbos valida in ipsum ægrum vertunt, quoinde cum Ettmullero dolendum: quod unum idemque remedium, rite administratum manum Dei auxiliatricem repræsentans, perverse usurpatum, gladius eveniat in manu furentis: quare & nullam ferme a Medicis præscriptam curam legimus, cui non sedula adjecta admonitio sit, ne tam ad medicamenta eorumque virtutes, quam ad bonam ipsorum operationem attendamus. Hujus etiam, cum & è fideli hactenus informatione Præceptorum meorum, omni honoris cultu prosequendorum, gratus recordor, meliorem materiam, pro elaboranda Dissertatione eligere non potui, quam præsentem, cujus pertractatione scilicet meditationes meas in operatione mala & contraria medicamentorum perlustranda impenderem, quo rita eorum operatio melius exinde mihi innotescat, præeunte nimirum Hippocrate, qui non solum à juvantibus, sed & à nocentibus indicationes sumendas præcipit. Cùm autem primo conamine Thema hoc, & fusius, quam ut paucis pagellis includi, & difficilius esse, quam ut debili ingenio meo funditus exarari possit, conspexerim, veniam a B. L. expetere æquum duxi, si forsitan non omnia huc adducenda, aut rem non acu tactam invenerit: quam impetraturam, cum non dubitem, sic præ-

missa

missa medicamentorum operatione rationali, eorundem operationem malam & contrariam, hujusque effectus & causas pro modulo meo detegendas bono cum Deo aggredior.

Thesis I.

Ad restaurandam corporis nostri depravatam sanitatem, cum medicamentis, ut primariis requisitis maxime indigeamus, facile & esse & prodesse eorum cognoscitur: Sunt nimirum adminicula fluidorum nostrorum turbatam mixtionem & motum, solidorum autem conformationem & conjunctionem læsam restituentia. Bene ergo operantur, si omnia obstacula tam digestionis, fermentationis quam secretionis & excretionis ut causas malæ mixtionis & motus, feliciter & pro possibili tollant, solidorum etiam morbos, emendent. Secus si agant operationem eorum malam & contrariam nominamus. Antequam autem ad hujus causas & effectus detegendos, progrediar, necesse erit, aliqualem rationalem medicamentorum operationem præmittere, quo deinceps eo melius & sine ambagibus pensum meum absolvere possim.

I I.

Duplici nunc modo medicamenta agere notum est, actuali scilicet & potentiali, illaque priori, ipso applicationis momento opem ferre, posteriori, post aliquam moram vires suas exercere, quare & vulgo in actualia & potentialia dividuntur. Hisce medicus ita utitur, ut quo actualibus ad removendum vel corrigendum morborum laticem pervenire nequit, nec ipsum licet, potentialia determinet, actualia autem adhibeat morbis potentialium virtutem malignitate sua superantibus: mitioribus enim prius tentanda res est, antequam debellandis morbis ferrum & flammam minemur, hacque methodo usum fuisse Hippocratem Aphorismus ejus 6. Sect. 8. indicat, quo medicamentorum ordinem ita proponit: Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat ea ignis sanat, quæ ignis non sanat ea incurabilia judicare oportet.

I. I. I.

Data sic Definitione & Diuisione medicamentorum generali, singulorum operandi ratio reddenda esset; cum autem unicuique innotescat, ferrum acutum scindere, ignitum vere posse, præterea Chirurgicorum solas manus, quæ ipsis frequenter loco instrumentorum esse debent, ar-

ticulum diſlocatum & fractum reponere valere, nimis a ſcopo aberrarem, ſi hancce actualium virtutem, longe petita demonſtratione comprobare inhærerem. Quare potius Potentialium operam, ulteriorem contemplationem requirentem, ſiſto.

I V.

Potentialia hæc medicamenta Græcis φάρμακα dicta, tribus Regnis Vegetabili ſcl. Animali, & Foſſili, deprompta, inſigni copia in officinis pharmaceuticis aſſervantur, novisque inventis indies augentur, ut ſi quis ſpeciatim omnia recenſere ſibi proponeret, finem vix reſpiceret; quam obrem in me ſuſceptam horum operationem tractandam haut facilius abſolvero, quam ut quot quot ſint, in paucas claſſes redigam, ſicque paucis multa complectar. Facilitabit hoc negotium, duplex eorum conſiderata Potentia & Effectus, plures enim non edunt, quot etiam nomina vel ab ipſa ſubſtantia, vel morbo debellando, l. loco affecto obtineant. Ratione Potentiæ & effectus ergo, vel fortius l. lenius operantur, quando miaſma morboſum, vel vi, vel inſenſibiliter, evacuant, aut corrigunt.

V.

Evacuantia itaque quæ primam Claſſem conſtituunt, tot rurſus obtinent nomina, quot ipſis à natura monſtratæ viæ ſunt, ad humores abundantes vel peccantes ejiciendos, naturali enim motui ſecretorio & excretorio ſuccurrunt, ille autem, quoniam vel ſuperne per os ventriculo moleſta, pectori noxia, in ipſo ore è vaſis emunctoriis ſecreta eliminat, aut narium mucum propriis viis educit, l. inferne per ſeceſſum Inteſtinorum contenta, aut per genitalia educenda educit, reliqua autem per cutis vaſa excretoria abigit, ſic & ſingulis hiſce viis antiquitus propria tributa ſunt medicamenta Evacuantia. Corrigentia autem quod attinet, hæc, cum naturalibus & arte productis evacuationibus inſerviunt, idque debiles facilitando, nimias ſupprimendo aut quod iis deperditum eſt reſtituendo, è triplici eorum officio triplicia conſiderantur.

V I.

Quæ nunc in prima Claſſe conſideranda veniunt, ſunt Emetica ſive Vomitoria, quoniam non ſolum fortiſſime operantur, ſed & primas vias & receptaculum primum ciborum a ſaburra peregrina & noxia liberant, ſicque morboſum miaſma eliminando primam concoctionem corrigunt, quo eo ſalubrior ſecunda & tertia abſolvatur. Ejiciunt hæc quævis ventriculi contenta, bene in hunc finem præparata, motu ventriculi excitato convulſivo. Quemadmodum autem convulſivus motus, a liarum

aliarum nerveo tendinosarum partium oritur à quavis vellicante materia excitante nimirum spirituum animalium inordinatum influxum, quo fibrillæ tendinosæ immodicè extenduntur, ideoque mox ad sua principia resiliunt, sicque dubiè motæ tamdiu agitantur, donec rodentem materiam valido impetu removeant: Pari ratione etiam ventriculi convulsio à vomitoriorum particulis acribus rodentibus causatur, dum scilicet immediate interiorem nerveam ventriculi tunicam arrodunt; vel mediante fermento ventriculo proprio, quod secundum Willisium, sua acredine contaminant, intimas hujus tunicæ rugas permeant easque vellicant, quo facto cum & penetrent ad musculares, nervosam tunicam ambientes, earum fibrillarum tum longitudinulium & transversalium afficiunt extremitates, necessario ea propter, a spirituum accellerato accursu involuntarius motus & convulsio excitatur, quæ actio semel inchoata tamdiu incrementum capit, & vehementior notatur, donec concussione ventriculi totius structuræ, quæ in fundo hærent ad orificium ejus protrudantur, sicque ore egerantur.

VII.

Hinc Vomitoriorum essentia facile determinanda est, vis enim rodendi & vellicandi competit acidis volatilibus sulphureis metallicis particulis, hisce enim præscriptos subitaneos effectus notamus, sic subtilissimus in bitumine Sulphuris communis residens Spiritus, quam-primum è suo viscido accenso sub forma fumi, ascendit leviter modo à nobis per inspirationem exceptus, statim excitat tussin asthmatis convulsivi, incaute vero liberalior haustus convulsiones lethales inducit. Sulphur hoc commune ex oleo & sale terræ coneretum dat primam materiam metallorum, quo purius eo & subtilius, eoque nobiliora non solum metalla exinde generantur, sed & eo penetrantius ejus sal & magis rodens est. Notum autem est antequam Metalla hac sua matre producantur, prius concretionem fieri limpidam ponderosam, maxime mobilem nomine Mercurii notam, qui Mercurius dum primum ens metallorum constituit, sic & origo est plurimorum medicamentorum è metallis parabilium. Parantur autem hæc vomitoria, quando mercurius vel per sublimationem vel per præcipitationem depuratur, hac ratione enim ipsius salis spicula, impuri terrestri materia liberata, agilitatem acquirunt, hanc si rursus illis demere necesse sit, commistione & additione novi mercurii, aut terrestrium vel oleosarum partium, obtundimus rursus spicula, & mercurius ut antea nulla prorsus acrimonia gaudet, sed innoxie assumitur. Quæ cum ita sint, apparet, vomi-

mitoriorum acidam volatilem ſulphuream metallicam, eamque crem & rodentem materiam eſſe mercurii ſulphur, a parte ſalis ſui acidi, quando mercurius denudatus eſt, ſenſile, quod non ſolum ſublimatus ſed & præcipitatus ſua vi cauſtica probant; Quoniam autem mercurius prædicto modo depuratus, nimis acris compertus & interne exhibitus, præſentaneum venenum eſt, potius Semimetalli genus, antimonium dictum elegerunt Medici, in quo quidem ſatis abundat mercurius, ſed particulis antimonii metallicis ſufficienter ligatus & mitigatus tenetur. Hoc antimonium à craſſiori ſuo ſulphure & impuriori terra per ſimplicem fuſionem ſeparatum & in vitrum fuſum, præbet uſualem pulverem vomitivum; hoc, dum adhuc nimis acre in ſubſtantia exhibitum judicatur per noctem vino acido immittitur, id quod ſubtili ſulphure mercuriali ſaturatum, tutius & citius tam quoad operationem quam quoad ejectionem exhibetur: eadem res eſt cum Regulo & Croco Metallorum, qui addito nitro & tataro pro meliori ſulphuris craſſioris deflagratione fuſi pro infuſo vomitorio uſurpantur. Omnium vero communiſſimus pulvis eſt Tartarus Emeticus, cujus in præparatione Cryſtalli Tartari cumcroco metallorum coctæ, pariter ac vinum ſulphure ſubtili mercuriali imprægnantur, ſicque longe mitiores ac ipſe crocus agunt.

Sunt & vegetabilia nonnulla, quæ inter vomitoria fortiora numerantur, illa quidem quorum indoles, cum Bile vitiata æruginoſa ſcl. & Iſatode quandoque vomitu ejecta, convenit, ut ſunt fortiora Cathartica, aut qnæ ſal urens & acre in reſinis reconditum habent, ſicque ſulphur vegetabile conſtituunt. vel etiam quæ amara ſunt, quanqnam mitioris naturæ, ventriculum tamen tenerum ingredientia, pro majori minorique acrimonia ſua illum convellunt.

VIII.

Hæc nunc recenſita Emetica valde activa, quoniam parva quantitate magnas actiones edunt, reſpectu eorum quæ ſequuntur, fortiora nominantur; Leniora enim nec ſal apertum gerunt, ideoque nec ſenſibilia ſunt, ventriculumque ad convulſiones ut acria ſtimulare nequeunt, ſed gravando magis ventriculum ejuſque ut & gulæ cavitatem glabram reddendo, quam rodendo agunt. In magna ergo copia dum aſſumuntur, ventriculum præternaturaliter extendunt, quoinde hic, preſſioni & conquaſſationi adjacentium partium, ut actioni pro concoctione ciborum neceſſariæ, renitiur, unde nauſea vomendique conatus oboritur, quale quid obſervamus, quando ventriculus nimia cibi ingeſtione diſtentus, Diaphragmati, illum ſub inſpiratione conquaſſanti, deorſum prementi, ce-

cedendo morem gerere nequit, ob renitentiam ſubſequente inſpiratione validius premitur, donec agitatione majori, indeque concepta nauſea, inconcoctos cibos regurgitet. Hujus generis nunc ſunt oleoſa, pingvia & aquoſa, videlicet Lac, oleum olivarum, Cereviſia butyro miſta, aqua ſimplex, quæ, ſi illis ventriculus repletur, ut dictum eſt vias lubricant, & facile egeſtibilia nec adeo firmiter plicis ejus impacta educunt, præprimis autem fortiorum Emeticorum operationem juvant, & venena aſſumpta acria involvunt & expellunt, quibus circumforanei utuntur, antequam ad decipiendos ſpectatores magnam venenorum doſin ingerant, probant & hoc glires, qui, aſſumtum arſenicum largo aquæ hauſtu, illæſi per vomitum reddunt.

I X.

Quæ ſecundus ordo tangit in Evacuantium contemplatione Cathartica ſunt, quoniam viam ventriculo proximam ipſique continuam purgant. Inteſtinorum enim tractus, quem evacuant & ad quem humores peccantes à tota corporis peripheria quaſi ad centrum derivant, unus eſt & continuatus cum ventriculo. Ille ſcilicet canalis, quem aſſumpta per os prius ingrediuntur & gula eſt, poſtquam in inſignem ſaccum dilatatus ventriculum conſtituit, pergit rurſus in anguſtum & longum tractum vario ductu in abdomine circumgyratum uſque ad anum, & nomine Inteſtinorum notus eſt. Præterea & nonnullorum Catharticorum facultas eſt, ventriculum una cum Inteſtinis evacuandi, quod poſt illorum uſum fames dejecta probat. Petuntur hæc medicamenta ex omnibus tribus regnis §. 4. recenſitis, ſicque tam alcalia volatilia quam fixa, acida volatilia mineralium & vegetabilium, ut & ſalia compoſita, per inferiora purgant, idque vario modo prout variæ indolis texturæ aut figuræ ſunt.

Alcalia quidem quoniam oleaginoſæ naturæ, craſſam pituitam, cui ratione ſubſtantiæ facile miſcentur, incidunt & ſejungunt, quo facto hæc, ob ramoſam & concatenatam conjunctionem antea lateribus inteſtinorum illorumque valvulis ſemilunaribus inhærens, nunc diviſa, majoremque nacta ſuperficiem, ſecundum Regulam Phyſicam: Corpora quo majorem habent ſuperficiem, eo magis aliorum corporum motibus expoſita ſunt, magis quoque fæcum preſſioni expoſita eſt, leniorique negotio educitur; Hac vi incidendi corrigunt quoque bilem pituitoſam vitellinam dictam, cujus vitio ſæpe alvus adſtricta notatur. Præterea & more ſalium ratione acredinis augent motum inteſtinorum periſtalticum, dum blande illorum fibrillas vellicant, quô validior contentorum ſuc-

cedanea expressio fit, alvique secessus segnior stimulatur; & cum ob subtilitatem exiguos quoque ductus penetrant, sic cum chylo ad sanguinem deferuntur, reserant undique obstructiones glandularum vasorumque lymphaticorum, talique effectu lymphæ à remotissimis locis per glandulas Pejerianas viam parant, è quibus in Intestinis secreta, tandem per secessum deponitur. Multa etiam alcalia cathartica in resinis recondita sunt & gummatibus, ut è re medica patet, dum radices resinosis zonulis divites ut meliores pro purgandi scopo eliguntur, quapropter id adhuc virtutis habent, ut balsamico residuo suo, quo post solutionem egressa consolidationem in Intestinis, si qua opus est, promoveant. Viribus laudatis nunc prædita, sunt salia per destillationem ex animalibus, per incinerationem è vegetalibus parata, Radices purgantes communes Rhabarbari, Meochacannæ albæ & nigræ, Ipecacuanhæ, Turbith, Hellebori nigri &c. ut & succi plantarum concreti Aloes & Scammonium, qui pro necessitate correcti, variis compositionibus miscentur.

Ex acidis mineralium, eligitur solus Mercurius, qui optimus lymphæ domitor audit, non quidem ut eam corrigat, sed quoniam indefinitè divisibilis & quasi in innumeros atomos per omnia vasa, quam exigua etiam sint se dispergit, ut injectiones anatomicæ docent, retinens tamen in exilibus minutiis suis pondus & mobilitatem, recludit tubulos illos obstructos, donec tandem in communem Cloacam rursus egrediatur. Reliqua Metallorum præparata ex infusis Emeticis desumuntur, quæ usui cathartico inserviunt, quoniam autem pro hoc scopo non ore assumuntur, sed Clysmata constituunt, ideo hæc ad illorum seriem remitto.

Vegetabilium acida volatilia pruritus in extremitate osculorum vasorum excretoriorum, sub tunica interna Intestinorum hiantium excitant, copiosioremque inde Lymphæ secretionem producunt, qua alvus ut in Diarrhæa frequentior movetur, Bilem, quam nimis volatilem obviam inveniunt correctam ejiciunt; Præcipua vero eorum operatio in eo consistit, ut augeant debilem Intestinorum fermentationem qua purum ab impuro separatur & Chylus rite defæcatus sanguini affunditur, fæces vero ejus per vias ordinarias secedunt, ut id in omni instituta fermentatione observamus, quare & omnia facile fermentescibilia quæ fermentationem ante destillationes spirituum è vegetabilibus juvant, in hunc finem assumuntur, ut sunt dulcia, Prunæ laxativæ, diversæ syruporum species, fructus horrarii maturi, nec non cremor tartari, Tamarindi, Pulpa Cassiæ, &c. quorum esu ordinario homo percipit alvi fluxum.

Salia

Salia duplicata, quæ ex acidis & alcalibus composita, de utrorumque virtute participant, hinc & ex præcedentibus horum Cathartica operatio colligi poterit, communiter autem catharticis stimuli loco sunt.

Quæ inter Cathartica laxantia dicuntur, cum lenioribus Emeticis eadem sunt, illa enim quæ ventriculum copia sua replent & glabrum reddunt, hæc ipsa Intestina quoque lubricant, Chymumque copiose assumpta diluunt, sicque fluxilia reddunt corpora quæ purganda sunt, quod sumne necessarium secundum Hipp. Aphorismum 70. Sect. VII. Nec pro alia intentione mercurius, in substantia ad libras assumendus, quandoque in usum vocatur, quam ut tali copia siccam alvum induratasque fæces ad dejectionem & egressum pondere suo urgeat.

X.

Quodsi autem in alvo pertinaciter adstricta scybala transitum purgantium impediant, neque laxantibus per os assumtis malum hoc corrigi possit, ne, vana ingestione acriorum purgantium, affectus hic in Ileum degeneret, cura melius Clysmatibus tentatur, fluidis nimirum medicamentis ano injectis, quibus intestinorum tractus, mox ut ventriculus vomituriens convellitur, mox leviter tantum stimulatur, aut lubricatur, prout materia illa constituens l. acris l. minus acris pro diversitate affectus requiritur: Sic in Ileo non ab inflammatione, sed induratione fæcum, vomitoria infusa, l. decocta ut aqua Benedicta Rulandi, Infusum Tabaci & alia acria adhibita convulsionem Intestini recti & coli excitant. Juscula pingvia, ut lac simplex cum sale acuatum, in Colica, & ad excitandum sopore affectum, injiciuntur, non acuatum vero aut simplex oleum quodvis demulcens, cum adjuncto opio l. alio anodino, ut acre involvens, dolores sistens, & eluens Clysma exhibent; quando crassa Intestina, ab acri ipsis quandoque inhærente, excoriata sunt, vel irritata.

X I.

Hisce Evacuantibus, medicamenta Bechica, Apophlegmatizonta, & Errhina subjunguntur, quæ pariter subacria, leni convulsione & pruritu pituitam & lympham peccantem educunt; hæc ad maximam partem è prænominatis evacuantibus petuntur; Quoniam vero Bechicorum sive pectus evacuantium varia sunt, multaque ex illis prius in ventriculo resolvi debent, ut sulphur, gummata resolventia & egerentia, ideo talia præ cæteris eliguntur, quæ præsentaneam medelam spondent, hanc à nullo melius sperare possumus, quam ab Infuso vel decocto specierum pectoralium, vapor enim aquætepidæ cum expectorantibus coctæ, per tubulum vel nuda inspiratione exceptus, melius ingreditur Epiglottidem

alias non satis pro linctu, aut resoluto in ore gummate hiantem, & sic potius gummata carbonibus ignitis injecta, in fumum resoluta trachæam ingrediuntur, si in substantia exhibeantur. Trachæa autem, tenui & sensili tunica vestita, nec acriora facile ferens, cum pulmonibus adhærentibus hisce bechicis leviter affecta, contrahitur, ab aeris vero inclusi vi elastica momento rursus distenditur cum impetu, hacque ratione pituita tenax cum screatu & tussi ejicitur.

Errhina sive sternutatoria subito afficiunt acrimonia sua extremitates nervi olfactorii, sub tenui membrana pituitaria narium interna obvelante, latitantes, dum immediate illis admoventur, qua irritatione inconsueta, momentaneus spirituum accursus notatur, qui accedente aere exspirando, vehementiori explosione s. sternuatione removet causam vellicantem, quo arctior contractio interiorum narium antecessa est.

Apophlegmatizantium sive salivantium notissimum est, mercurius dulcis, forma pilulari vel syrupi exhibitus aut externe inunctus, cujus rationem lympham ad vasa excretoria derivandi § 9. jam dedi, quod rutem plerumque egressum petat per glandulas ductusque salivales, est, quod hæ viæ magis patulæ sint ob diutinam exspuitionem; tum quod in ore & regione externa maxillarum harum glandularum numerosa collectio, earumque insignis ductus, secretam pituitam colligentes, reperiantur. Reliqua apophlegmatizonta ore detinentur donec urente & acri ipsorum vi, per pruritum eliciant lymphæ quantitatem è dictis ductibus salivalibus; convulsionem equidem non excitant, quoniam papillulæ nervaceæ gustatoriæ ut & adstantia vasa excretoria jam assueta sunt ferendo acrimoniam aromatum quibus apophlegmatizonta hæc desumuntur, quibusque quotidie pro esculentorum condimentis utimur.

XII.

Exceptis itaque catharticis nonnullis hactenus operatio medicamentorum in primis viis aut ante ingressum in sanguinem demonstrata est Illa autem, quorum operatione viæ subsequentes naturales evacuantur, vim suam demum peracta circulatione sanguinis manifestant, nisi quandoque externam eorum applicationem necessitas urgeat; Ex his primo eligo genitales vias evacuantia, quoniam ipsis affinia Diaphoretica efficacia superant. Hæc vero quanquam pro triplici evacuanda materia, triplicia recensentur: Ut Diuretica, Menses moventia, Aphrodisiaca, communi tamen diureticorum catalogo tantummodo desumutur; Speciatim autem virtute Diuretica sive urinam ciente gaudent, Medicamenta ex Insectis parata, hæc animalcula enim, quoniam sal volatilius præ cæteris

ris

ris ferunt, mediante illo, largiorem urinæ ſecretionem, per glandulas ab arteriis Emulgentibus formatas, tubulosque Renales ex inde propagatos, efficiunt; pari modo, quo lympham è poris ſubcutaneis proritant, quando externe pro veſicatoriis applicantur, medentur inſuper pertinaciſſimæ Renali & veſicali Iſchuriæ, dum hujus Paralyſin, accelerato Spirituum animalium influxu tollunt, illius autem viſcidum, tubulis & glandulis impactum diſſolvunt; Necnon agilitate ſua viarum intermediarum Ureterum ſcl. motum periſtalticum ſtimulant, quo eo melius ſtagnans alias Urina hiſce impedimentis remotis canales ſuos permeare ſufficientique copia a ſanguine ſecerni poſſit; modo ea circumſpectione adhibeantur, ne acrimonia illorum cauſtica & urens gravius malum inferat canalibus membranaceis ſenſibilibus, quare ſecurius cantharidum, Scorpionum, Scarabæorum, Millepedum &c. infuſum cum vino vel olio propinatur, ac ſi in ſubſtantia exhiberentur. Sunt & vegetabilium nonnulla, quibus diureticorum nomen competit, quæ & guſtu acria & odore nares fortiſſime feriunt; quibus etiam involuntarie oculi lachrymas plorant, alias Antiſcorbutica dicta, cui morbo ſcl. laudabiliter reſiſtunt, cujusque fomitem per vias Urinarias è corpore expellunt, ut Allium, Cœpæ, Armoraciæ Radix, Raphani &c. quæ quanquam Inſectorum ſalibus ferocia nonnihil cedunt, virtute tamen non minora æſtimanda ſunt. Nec poſtponenda Radicum & ſeminorum Apii, Petroſelini Endiviæ cum ſuis analogis, blanda & aromatica vis, qua mite & ſucceſſive Urinæ ſecretionem promovent, è quibus aſparagi radices Urinam fœtidam excernentes præcipuè conſiderandæ, quarum operationis Ætiologiam tamen non ipſis radicibus, ſed purulentæ potius materiæ, aut ſali acido Urinis contento, iisque conjuncto tribuere volunt Hoffmannus in Clave ad Pharm. Schroederi & Sylvius L. 1. c. 51. §. 31.

Acidorum volatilium Diureticorum effectum credo dependere, à particulis illorum ſalinis ab utroque latere ſcindentibus, quibus dum attingunt vaſa fluidorum noſtrorum extenſa, illa ad contractionem cogunt, ſicque excretoria primarum viarum primo attactu claudunt, quo lympha ob excitum denegatum ſtagnans, per remotiores vias, Renales ſcl. effluere cauſatur, cui contractioni quoniam accedit corrugatio reliquorum vaſorum, vel per conſenſum vel quod tantum de acido non recipiant, ita lymphæ expreſſio eo magis acceleratur. Hoc tali modo fieri obſervamus è ſuppreſſis evacuationibus naturalibus, ſic menſes ſuppreſſi per inconſuetas vias ſœpius excitum quærunt, ab alvo adſtricta Urina uberior mittitur, aut quando ſubito frigore vaſa ſudorifera clauduntur, lotii reddendi inſtinctum ſentimus. Williſius Part. 1. Pharmac. ra-

tionalis causam a coagulo sanguinis ab acido affuso tradidit, instituitque comparationem cum coagulo lactis. Interim acida sanguinis circulantis seri separationem facilitare affirmant Scorbutici urinam sœpius reddentes, Notissima horum sunt. Spiritus salis dulcis, tinctur. & Sp. V. Tartarisatus succus Citri &c.

Quæ adhuc explicanda restant, sunt Diuretica balsamica, hisce non ultima laus debetur, ob universalem medelam, quam præter vim suam Diureticam, Organis Urinariis & genitalibus conferunt, Corrigunt enim, mundificant, involvunt, detergunt, consolidant, l. stranguriæ ardorem & acre, dolorem nephriticum tensivum & acutum, Renum & vesicæ inflammationes & ulcera fœtida, l. meatus seminales à proprii liquoris virulentia excoriatos, quibus omnibus Urina parcior debito l. non absque dolore mittitur, aut ejus emissio plane inhibetur, idque efficiunr suo sale quo pollent volatili oleoso; Abietina, Juniperata, Succinata Cerasorum & Persicorum Malorum nuclei, amygdalæ amaræ &c. Ultimo & Venæ Sectionem quandoque Urinam movere è Riverio & Tulpio duobus Experimentis Clarissimus Ettmullerus demonstrauit, nec & hoc sine ratione, Sanguis enim interpræternaturaliter abundans, ob viarum angustiam, nexum habet nimis serratum, nec per vasa jam ab omni latere summe expansa debita agilitate circulare potest, quoniam aeris ipsius intermixti pulsus impeditur, quoinde serum pari impossibilitate, per glandulas transcolat ac aqua transire poterit porulos undique apertos vasis vitrei aut cuprei, Clepsiræ scil. ad marginem impletæ, si hujus orificiò supremô tectô, aeris pressio arcetur, aut dolio, ad summum vino repleto, per orificium epistomii detrahere quid valebimus, antequam ab altero illius latere apertura facta erit. Imminuta autem quantitate sanguinis per V. Sectionem. ille liberius circulatur, lymphaque sic & Urina suis ductibus excretoriis impellitur quam rationem etiam indies institutæ venæ Sectioni subsequens Diaphoresis comprobat.

XIII.

Medicamenta Diaphoretica quæ jam sequuntur explicanda præcedentibus Diurecticis valde conveniunt, ita ut Diaphoretica fortiora non raro per Diuresin operentur. Ducunt hæc humores à centro Corporis ad peripheriam, læsamque transpirationem restituunt; Operationem autem per Diaphoresin s. sudationem 4. potissimum modis absolvunt. Imo enim Sudores propellunt, dum sanguinis motum augent, augent autem illum, quoniam non solum spirituosis suis alcalicis volatilibus particulis attenuant, sed & dum cor earum partium particeps fit, hujus Systole &

Dia-

Diastole validius sanguis in vasa impellitur, cursui circulatorio calcar additur, lympha per glandulas subcutaneas celeriter transcolatur, ut qua data porta erumpere possit; Efficiunt autem hoc cujusvis generis salia volatilia ex animalibus parata, ut & aromata maxime volatilia, quare ab esu piperatorum incontinenter calorem percipimus, Sudoremque in facie promanantem observamus.

2. Dum sanguinem nimis tenuem, nexu suo plane dissolutum, motu etiam maxime turbatum, pristinum servare tenorem cogunt; quod fit, quando acido austera Bezoardicis mista dosi convenienti exhibentur, quæ sc. & sanguiuem paululum incrassando ipsi justam suam miscelam restituunt, & uasa sanguifera leniter coarctando, motum turbatum inhibent, qua tandem debita miscela, motuque ordinario restituto debitæ Secretiones redeunt, sicque lympha cum materia contagiosa & morbida à laudabili sanguinis parte per poros corporis separatur, laudantur ideo succus Citri & acetum, quæ non solum in febribus malignis cum ægri levamine blandum proliciunt sudorem, sed & hominem sanum ad sudorem disponunt. In genere autem hæcce remedia nomine Alexipharmacorum insignuntur, quibus pro Bezoardicis Lapis Bazoar, Cornu Cervi, Radix Contrajervæ Scorzoneræ, & alia hisce annumerantur.

3. Dum Spirituum copiosiorum impetum cohibent, quo alias fibrillæ musculorum & tubulorum corporis nostri nimis distenduntur & intumescunt, ita ut sero exhalanti transitus denegetur, vigiliis è contrario deliriis, aliisque incommodis æger vexetur. Prodire autem faciunt sudorem vi qua pollent narcotica, hæc enim quemadmodum spirituum agilitati maxime infesta est, ita subsidere eos cogit, qua subsidentia tubulorum & musculorum fibrillæ collabuntur, & sic collecti & agitati vapores eo copiosiores transeunt poros, & homo quasi labore insigni delassatus somno opprimitur: Simile quoddam nobis suppeditat febris ardentis aut intermittentis Paroxismus, cujus exacerbatione, magnum quidem ardorem, nullum vero sudoris madoren observamus, priusquam æger viribus ferme exhaustus, ob spirituum defectum in somnum incidit, tunc & vestes & stragula, spontaneo sudore irrigantur.

4. Dum Sanguini sero necessario orbato, novum aliquod & quidem in copia suppeditant, quo sal acre, ob defectum seri, in sanguine abundans diluitur, cumque sudore exterminatur, id obtinetur & potu ordinario cerevisiæ scl. tenuis & ab infusionibus & Decoctis medica-

dicamentorum Sudoriferorum cum aqua ſparatis, videlicet Ligni Guajaci, Saſſafras, Radicum Sarſaparillæ, Herbæ Theæ, fabarum Coffee &c. quæ vi menſtrui vel extracti, ſudorem ſatis largum proceant.

X I V.

Secundum alteram medicamentorum diviſionem §. 5ti, Medicamenta corrigentia, ſecundum triplex eorum officium triplicia eſſe indigitavi, prout ſcl. vel Evacuationes naturales aut artificiales facilitant, l. ſi nimiæ fiant inhibent, vel quod a nimis contingentibus perditum eſt, reſtituunt. Vidimus è præcedenti tractatione Evacuantium, ea plus vel minus ratione ipſorum acrimoniæ fortioris vel lenioris, agere, notum vero eſt nullum acre actiones ſuas proſequi poſſe, ſi virtuti ipſorum contrrria quædam occurrant, aut ſi vaſa ejaculatoria non pateant egreſſui exterminandorum. Quare Corrigentium Evacuationes facilitantium, ea debet eſſe virtus, ut evacuantibus contrarium acre intra viſcera latens, alterent, id eſt ut vim eorum debilitent ſubſtantiamque immutent, & hanc omnino à ſelectis corrigentibus ſperare poſſumus. Seliguntur ergo pro præparatione humorum ante Evacuationem, acrimoniam latentem, purgantibus noxiam, obtudentia, & obſtructiones reſerantia. Acrimoniam obtundunt, omnia corpora ſolida & tenacia, quæ autem acrimoniam habent, ſunt ſalia in liquidis diſſoluta, ſic in motu conſtituta; hæc enim quoniam ſpiculis prædita ſunt, pungunt iis vel rodunt quicquid attritu contingunt, ſi ergo talia iis opponuntur quæ vi ipſorum cedere nequeunt, aut ſi cedant, illam tamen eludunt, illa pro approbatis corrigentibus habentur, quod vero id ſolida & tenacia efficiant, manifeſtum eſt, comparemus ſaltem actionem læſam eorum quæ pari vi cum ſalibus acribus, verſus hæc moventur, ſic inſtrumentorum ſcindentium & pungentium, quæ nobis in quotidiano uſu ſunt, acies l. mucro, contra corpora ſolida & tenacia adactus immutatur & corrumpitur cultri vel acus cuſpis contra lapidem vel ferrum trita ſe reflectit, aut hebes redditur ſi corium vel craſſa charta illa pertuſa ſit. Nulla alia ratio eſt eum ſalibus, ſive enim ſint cubiformia, triangularia, hexangularia, quocunque modo verſus ſolida impelluntur, de ſua acie aliquid perdunt, lævigantnr enim propter reſiſtentiam corporum & omnes eorum mucrones rhomboideam formam obtinent; Tenaciorum corporum hæc eſt indoles, ut facile cedant, cedendo autem impetum omnem eludant, l. racematim dum conectuntur, haut facile deſtrui aut penitus reſolvi poſſint, ſed potius quoniam in amplum ſe extendi patiuntur, ingreſſum quidem adactorum permittunt, non autem regreſſum, quare tantundem motus in ſe recipiunt, quautum cuique moli

in

in ipſa invehenti, adimunt. Solida quibus dicto modo enervare humorum acrimoniam ante evacuationem poſſumus, ſunt quævis terrea ſimplicia ſ. animalium concreta, latos poros habentia, ut oſtracodermata, Cornu Cervi, l. mineralium calcinata, aut nonulla ex iis in ſubſtantia exhibita, præprimis martialia, quæ minutiorum pororum & compactioris ſubſtantiæ ſunt, omnia hæc prælaudata virtute gaudent, ita ut quo durioribus vehementior ſit actio acriorum, eo major eorum hebetudo fiat, ſic vinum acidum ab injecta creta dulceſcit, affuſum acidum oculis Cancrorum, marti, plumbo vel. ſtanno inſipidum fit. Tenacia ſunt omnia pultacea, oleoſa, balſamica, hæc enim quamcunque aciem & acrimoniam inertem reddunt, includunt ſcl. intra poros ſuos, ut quaſi in vagina reconditæ lateant, & quo pluribus hamulis reflexis prædita ſunt ſala, eo firmius includuntur, ut contingit cum acido auſteris, quæ per microſcopium ab uno latere ſcindentia, ab altero inſtar ſerræ formata apparent: Quicquid ergo in ventriculo aut aliis parenchymatibus latet, illud oblinunt tenacia, ne corrodere & corrodi poſſint, edocet id methodus Sculptorum in ære, qui, ſi prima lineamenta formarum cum aqua forti cupro imprimere intendunt, totam laminam cera obducunt, relinquendo ſaltem rimas pro forma imprimenda apertas, ſicque per 2 & plures dies Aquam Fortem corroſivam infundunt, absque læſione ſpatiorum cera munitorum,

Præter hæc ſolida & tenacia, limpida quoque proſtant corrigentia, quæ flexibilia ſunt, undique interſtitia corporum permeare poſſunt, ut ſunt aquea, vel &, ſpirituoſa quorum dulcedine acida temperantur, ſi ex acidis ſint alcalia ligantur, modo ea cautela obſervetur, ne contrarium contrario immediate obtrudatur, ſicque vehemens efferveſcentia cauſetur naturæ inimica, ſed aliis admiſta & temperata pro reſpectu doſis parce & large applicentur.

Quæ nunc obtundendo alterarunt acrimoniam humorum, pro certa circumſtantia & obſtructiones reſerare poſſunt, ſive enim contingat vaſorum obſtructio ab acidis, quæ rodendo fibrillas eorum contrahunt, & anguſtant, ſive viſcidum hæreat in viſceribus & vaſis fluidorum aut nervos ſimul obſtruat, commode hæc à jam explicatis removeri poſſunt, ſublata enim cauſa tolletur effectus, corrigantur acida obtundentibus & vaſorum contractio & ſpasmus ſublatus erit, viæque liberæ patebunt, diluatur viſcidum aqua, ſejungatur Spirituoſis alcalinis & vaſa etiam hiſce recluſa erunt, ventriculus & Inteſtina ab exhibendis moveri poterunt, ſicque facilitata erit Evacuatio.

X V.

Evacuationes nimiæ naturales contingunt, quando acri rodente vasa irritantur & eroduntur, ut liquidum in iis contentum copia plusquam ordinaria extravasetur intra corpus, vel externe eliminetur è corpore, vel quoniam massa sangninis nimis fluida est, & pori ampliati sunt. Artificiales vero fiunt à medicamentorum ferocia, confortata ab interno compari latice, hisce nunc obex ponitur, si sanguinis massam nimis tenuem paululum inspissando corrigamus vel poros nimis apertos quantum licebit angustemus; quare ea Corrigentia quæ titulo Incrassantium & Adstringentium nota sunt hic vexillum ducunt: Incrassantia & hic sunt terrea §o præcedenti jam enumerata, eligenda vero talia partim quæ nondum acidum inbiberunt, sicque eo melius acrimoniam erodentem obtundere, & tenue, & in illo tenui volatile, absorbere possunt; partim qnæ acidis prius dissoluta fuere ut lapides 69. vel acidum adjunctum jam habent, ut lapis Hæmatites, Bolus Armena, hisce enim & alcalinæ naturæ quod est in sanguine corrigitur, & limpida ejus consistentia aliquantulum coagulatur, quare & acetum ipsum laudem insignem in Peste meretur, accedere possunt hisce, vegetabilium corticum terrestres & oleosæ partes, ut sunt Granatorum; sub oleosis intelligimus gummata non multa salia inclusa habentia & frigida dicta, ut Tragacanthum, sanguis Draconis, hæc lentore suo valde temperant fluida & compescunt celerrimum illorum motum. Eandem virtutem hæc exigunt, si pori coarctandi sunt, quicquid enim particulas flexiles & globosas fluidorum contrahere & invicem conjungere valet, idem & id præstabit, quando teneras fibrillas vasorum laccidas attigerit; Hæc tam interne quam externe nunc applicantur, nec hic silentio prætereundus aer frigidus, cui enim si nos exponimus, subitus horror corpus invadit, & poruli vasorum excretoreorum, instar papillularum contracti apparent, sic & aqua frigida horrendas hæmorrhagias quandoque sistit, licet in loco ab extravasatione remoto applicetur: Cutis enim, in quam omnes fere nervi terminantur, qui extremitatibus suis universale hoc obvelamentum contexunt, hac ratione una in parte corrugata, in universum se contrahit, vasorumque orificia, quæ nervaceæ huic texturæ interposita sunt, claudit.

Quod attinet artificiales evacuationes immodicas, hæ quoad partem à jam laudatis frænantur, partim etiam quando ab illorum ferocia motus convulsivi oboriuntur, qui & non raro naturales concomitantur, spirituosis & narcoticis compescuntur, quemadmodum id in vomitu expertum habemus, ubi aqua Cinamoni & opii Laudanum interdum pro

prin-

principalibus domitoribus agnoſcuntur.

XVI.

Hiſce nunc notis, videntur quidem Anodina ſingularem claſſem exigere, verummodo quoniam dolorum cauſa ab obſtructione indeque denegata lymphæ evacuatione oritur, quæ lympha ſtagnans vitium capit & acris fit, ſicque in illo loco incluſa, rodit, vel denegata ordinaria via, aliam inconvenientem quærit, haut neceſſe eſſe puto, ea hic loci commendanda corrigentia, quæ jam in præcedentibus paragraphis recenſita ſunt, iterum de novo repetere. In horum autem numero Narcotica hoc tamen peculiare habent, quod, quanquam oleoſis ſuis particulis involvant acrimoniam rodentem, inſimul ſpiritibus inmodicum ad locum vellicatum ingreſſum præcludant, eo magis enim augetur dolor, quo magis fibrillæ muſculorum & nervorum ab horum copioſo influxu diſtenduntur, qua ratione autem hiſce tranſitum denegent narcotica? eſt, quare inter ſe diſſentiunt authores. Williſius credit hoc pendere ab opii, per conſequens & cœterorum, acido ſulphureis particulis, contra quas dum impellunt ſpiritus, illos quaſi attonitos redditos fugari, quoniam naturæ ſuæ volatili contrarium reperiunt. Ettmulleri & Wedelii ſententia eſt, Narcotica, ſimulac in ventriculo degeſta, aut per fermentationem reſoluta ſunt, tales ſubtiles exhalationes emittere, quæ omnes tubulos præprimis anguſtos quaſi nebula replent, & ſic ſpiritibus nullum quaſi concedunt meatum, quorum abſentiam aut denegatam ſolitam actionem ſoporoſi tunc effectus & ſomnus ſubſequitur. Melius adhuc hæcce ſe tali modo contingere, concipimus, ſpeculantes, haſce exhalationes non adeo puras è viſcido ſuo liberari, quin oleoſi adhuc quid illis adhæreat, ſicque ſe inſinuantes inter nervorum ſubſtantiam, non poſſe hoc fieri abſque compreſſione aliqua, cauſata à ſpiritibus transfluxum quærentibus, hacque compreſſione coactas à ſpiritibus exhalationes aereas narcoticorum, vim ſuam elaſticam fortius exerere, ac regreſſum ob ſpirituum animalium inſtantiam non habentes, ſe tanto magis diſtendere, non abſque extremitatum nervorum compreſſione, ſicque ſubſidentiam muſculorum languorem, vertiginem & ſomnum indeque nullam amplius dolorum perceptionem nos habere. Comprobant & id omnes ab obnebulatione vaporum vini recentis l. muſti inebriati, l. effluviis rerum incenſarum Carbonum ligneorum aphoni redditi, Dolores non ſentiunt Maniaci, aut qui aiias obſtructione nervorum per intervalla laborant, l. quorum ſpiritus huc & illuc inordinate divagantur, hi ipſi ſe vulnerant non ſentientes, nec ullius periculi præ-

ſentis vel futuri memores ſunt, ſic Turcæ prælium ingreſſuri ſe temulentos reddunt ſuo Maſchlach, ſic Tabici fumus non aſſuetos vertiginoſos reddit & Lipothymia afficit, fumus ſeminis Hyoſcyami ad vermes eliciendos dentibus applicatus, caput vertigine obruit, hinc fœminæ Indorum ut recenſet Tevenot in Itinerario ſuo, ſemine Datura ex fructu Plantæ Strammonii collecto, aphonos maritos reddunt, ut apertis oculis, laſcivias, ab ipſis in illorum præſentia peragendas, videre non poſſint, ſed ſtatuarum inſtar, corpore præſentes, mente vero remoti videantur.

XVII.

Ultimo determinandum venit, quomodo illa quæ ab evacuationibus nimiis perdita ſunt reparare poſſimus, Perduntur autem illis, vires, quando ſcl. fluidorum excretio nimia fuit, quorum privatione nec ſolida plus integra conſiſtere poſſunt, ſed conſumuntur ut id atrophia partium demonſtrat. Hæ nunc analepticis ſive reficientibus reſtituendæ ſunt, ita, ut pro quantitate vel qualitate deperditi & reſtituentium conſiſtat reſarcimentum. Notum eſt ex Sanctorii Medicina ſtatica, quod plus per inſenſibilem tranſpirationem indies abeat, quam per notabiles excretiones, quæ quidem Evacuationes inſenſibiles, cum ad ſanitatem multum conferant, non nimiæ habendæ, in quantum defectum ex inde natum, neceſſario cibo & potu reſtituimus, quod ſi vero longa inedia harum nullam habeamus curam, æque deleteriæ evadunt ac cæteræ, quare victus ordinarius ſœpius primum locum inter analeptica obtinet, quod experiuntur ægri, quorum vires, ab inedia propter requiſitam Diætam aut depravationem appetitus, debilitatæ, vel evacuationibus artificialibus, neceſſariis tamen, exhauſtæ ſi ſint, citius eos requirunt, è piſtorum & cereviſiariorum quam Pharmacopœorum officina: ſtrictiori tamen ſenſu ſi conſiderare volumus analeptica; I^{mo} Aquoſa ſpiritibus imprægnata, ut ſunt Aquæ ſtillatitiæ, talia dicuntur, quatenus contentos antea in ſanguine humores & cum illis exhalatos ſpiritus regenerant. 2do. Omnia Balſamica ſive olioſo ſpirituoſa, vel è terra concreta ſint, ut Ambara & Succinum, vel ex animalibus & vegetabilibus collecta, ut Moſchus, Caſtorium, & omnia aromatica & 3tio. ex iis parata ſalia volatilia & Sp. ut cornu. ſal & Sp. Sp. ſalis ammonniaci. talia credimus, omnibus enim iis ſpirituum ſecundum naturam ſuam facile evaporabilium fit recuperatio, hinc inde & ſenes qui juvenibus magis Spiritibus indigent, plus ambara & moſcho quam ulla alia materia ſucculenta recreantur, rigidi enim cum eorum tubuli muſcularesque fibrillæ jam factæ, & ſufficienter extenſæ, ſupra modum pluribus ſpirituoſis impleri debent, quam antea neceſſarium erat, cum nondum ad extrema diductæ eſſent.

Memo-

Memoriæ etiam læſæ vel ſiccitate nimia, vel humiditate, analepticis omnibus egregie ſubvenimus, quoniam à priori cauſa, plicæ ab inundatione Spirituum, pro retinenda Idea repræſentata cerebro imprimi nequeunt niſi ſiccitas cerebri, irroratione cum humido eoque Spirituoſo temperetur: à peſteriori vero, quando jam impreſſæ ſunt, facile delentur, niſi aromaticis & volatilibus humiditatem nimiam evaporare ſtudeamus quamobrem cum tam Spiritus conſumptos ſupplent, quam debiles præſentes augent roburque conciliant, corroborantia dici ſolent; ſunt & hæc quæ alias recto nomine Cardiaca appellari ſolebant, quoniam cordis & arteriarum pulſum languidum reficiunt, cum autem hodierni Medici, Cardiaca in latiori ſenſu interpretantur, nec ego tam mordicus veterum veſtigiis inſiſtere contendam, ſed cum illis hæc explicata, pro cardiacis primi generis, reliqua pro ſecundi generis Cardiacis agnoſcere volo.

XVIII.

Eadem nunc ratio operationis medicamentorum tam Evacuantium quam corrigentium eſt, ſive interne ſive externe applicentur modo quod duplicatam acriorum doſin uſus externus exigat, in quantum nobiliores partes, loco afficiendo ſubjacentes, intactæ relinqui poſſunt. Sic acriora Evacuantium roſione luxuriantem carnem & ſphacelum tollunt, fontanellarum fovea ab iis eroditur, cuticulâ elevatâ lymphæ copiam eliciciunt externè è poris ſudoriferis, quando tener & timidus æger ferrum & ignem metuit, Blandiora horum ut & corrigentia pro reſolvendi, emolliendi, dolores ſiſtendi ulcera mundificandi intentione adhiberi poterunt, quâ alias interne ut Cathartica, deobſtruentia, adſtringentia, diluentia, acrimoniam involventia, in auxilium vocantur, quare non diutius in illis moror, ſed confero me ad id, quod eſt ſumma diſſertationis.

XIX.

Præmiſſa tali modo medicamentorum operatione rationali, eandem malam & contrariam quandoque ſe contingere concipio *Imo.* Quando medicamenta præter intentionem in exceſſu vires ſuas exerunt, inſimul graviora Symptomata morbum antea non concomitantia producunt, 2do. Quando in defectu peccant, nec requiſitos effectus edunt, 3tio. Quando contrario & inverſo modo operantur.

XX.

Secundum primum modum, enormiter agunt vomitoria, quando internam ventriculi tunicam ita lædunt & laceſſant, ut evenientes ejus in-

de convulſiones indeſinentes continuent, ejecta licet omni contentorum copia, quam actionem tandem lethalia & inſueta mala ſubſequuntur. Vomitus videlicet ſanguinei, dum vaſa ventriculi vel eroſione aperiuntur, vel nimia concuſſione anaſtomoſes vaſorum pulmonalium fiunt, Apoplexiæ ſanguineæ dant anſam, quando pariter in Cerebro tali vi ſanguis extravaſatur, & ventriculos ejus obruit, aut ſubſequitur pituitoſa apoplexia, quando pituita ex ſuo latice ad ſummitates nervorum protruditur: Patiuntur & alia ſenſus organa hoc intempeſtivo excitato motu, oculi quidem noxam inde trahunt, quando vaſa eorum ſanguifera & lymphatica diſploduntur, ſuumque liquorem intra tunicas, humores viſui ordinatos obvelantes, una vice effundunt, qui deinde ſtagnans in Cataractam concreſcit. Pari ratione Tympanum diſſilire poteſt, cum ſubſequente ſurditate incurabili; Sic & non raro Herniæ inde notantur, vehementem corporis concuſſionem pro cauſa agnoſcentes. De cætero ad deliquium animi adiguntur ægri, & licet ſalvi vix evadant, tanta tamen ventriculi tono remanet depravatio, ut ne cibum quidem dehinc excipere queat, quin incontinenter rurſus reddat.

XXI.

Purgantia vehementia, quanquam non adeo horrendos caſus, producunt, vomitoriis tamen interdum nil ferocia cedunt, quando nimirum excoriant interiora inteſtinorum, incredibilesque cruciatus excitant, illorum acrimonia ſœpius eroduntur oſcula vaſorum ſanguiferorum inteſtinalium, unde Dyſenteria, Hæmorrhoidum fluxus, relinquunt & procidentiam interioris tunicæ inteſtini recti, & ani Teneſmum, vel quorum aliorum eventuum non ſunt cauſæ? quando uno die 30. l. 40. vicibus alvum movent, quô factô omnia liquidiora in totum excernuntur, craſſiora vero remanent, glandulæ Meſenterii obſtruuntur, quæ alias chylo vehiculum ad ſanguinem ſuppeditabant, & ſic illo non pro ſanguificatione lympha ſufficienter miſto & dilutô, nec bona ſanguificatio nec commoda appoſitio ſucci nutritii ad ſolidas partes ſperanda, ſed univerſa corporis tabes & ob vaſorum excretoriorum, à relicto craſſo viſcido, univerſalem obſtructionem, Cachexia, Icterus, Hydrops, & innumerabilia alia mala propignutur.

XXII.

Diaphoretica in exceſſu peccant, quando adeo ſerum per peripheriam corporis educunt, ut æger illo omni exhauriatur, unde ſimul ingens Spirituum animalium deperditio, nullo conſilio reparanda, madent illa Maſſæ ſanguineæ in ſerum colliquatione, omnia ſtragula, induſium omni ſemihora mutatum queſi aqua extractum apparet, quicquid maligni-

gnitatis hæret in ſanguine, uno impetu ad cutim propellitur, variolarum miaſma majori copia per poros ſudoriferos exitum quærit, quam patuli illi ſunt, unde graviora fœda ulcera, cogitur & in excretione petechiarum bonum cum malo tranſire, quæ vero ſimul eo adactæ tranſire nequeunt, occludunt penitus poros, inde in tali morbo neceſſaria libera tranſpiratio impeditur, verbo, ægri brevi poſt cum ſummo animi deliquio intereunt.

XXIII.

Quando Diuretica modum in actu excedunt non ſolum mala in præcedentibus enumerata metuenda ſunt, ſed & ſero copioſius excreto in ipſa organa agunt, eorum enim vi ſalinæ particulæ nonnullæ intra oſcula anguſtiſſima vaſorum excretoriorum impelluntur, eaque diſtendunt, ita ut deficiente ſero, æther liberum tranſitum non inveniens, per interſtitia anguloſa ſpiculorum ſalinorum, fulminis & fulguris inſtar permeet, quare inflammationes Renum cauſantur, mictus cruentus notatur, ureteres tandem & veſica acrimonia illa ſalſa excorianrur, uretra læditur, & Patiens quoties urinam reddere tentat inexplicabili dolore afficitur.

Similia quoque pericula portendunt reliquorum Evacantium vehementes operationes, Clyſterum ſcl. Expectorantium, Sternutatoriorum, Salivantium, menſes moventium, vel interne vel externe exhibitorum, quæ omnia ſingulatim recenſere, tædioſum eſſet, dum jam è præcedentibus recenſitis ad maximam partem patent, vel inde colligi poſſunt.

XXIV.

Corrigentium noxa non levis eſt, quando interne cum intentione bona exhibita primas vias debilitant, fermentum ventriculi deſtruunt, nimis pro adjuvandis aliis medicamentis ſtimulant, aut ligant, vel etiam corrigendo unum motum, cum obveniente heterogeneo novum incipiunt, & in tertiam maſſam degenerant, aut quando externe adhibita, non determinate agunt, ſed extra cancellos ruunt, quibus ſeffectibus, cruditates, obſtructiones, partium nobilium læſiones, & multa alia jam prædicta damna ſurgunt.

XXV.

Secundo Medicamenta in defectu nocere poſſunt, quando vel plane ſcopo non reſpondent, vel quando humores aliqualiter quidem movent ſed non educunt, aut ſubigunt, quoinde majores turbæ inducuntur, inanes ſcl. egerendi conatus præcordiorum anxietates, Regionum pleuræ & Hypochondriorum dolores, ſuffocationes, Epilepſiæ, articu-

lorum

lorum infirmitates, Paralyſes, & hujusmodi alia paſſim a Practicis notata.

XXVI.

Contrarie operantur medicamenta, quando Evacuantia magis obſtruunt quam ut evacuent & vice verſa, aut quando non debita via evacuant, ſed vomitoria Cathartica fiunt, Cathartica vero vomitoria, vel quando hæc per Diaphoreſin, Diureſin, aut Menſium fluxum educunt, hisce vero viis dicata medicamenta non eousque penetrant, ſed primas vias purgant; eadem porro eſt ratio Corrigentium perverſi effectus, eorum præprimis, quæ facilitare debebant evocuationes, eas potius ſupprimunt aut quas inhibere debebant promovent, quando analeptica poſternunt vires aut narcotica vigilias excitant, anodina dolores exacerbant, & ſic porro. Quo univerſo operandi modo & ſcopus mala quævis evitandi invertitur, & in pejorem ſtatum perducitur æger.

XXVII.

Hæcce nunc melius explicanda. 4 Cauſæ accidentales conſiderandæ veniunt, quarum ratione potiſſimum mali & contrarii medicamentorum effectus notantur. Medicamenta enim, quorum vis noxia & ſalutaris unicuique experto medico nota eſt, ſecundum operationem eorum mala eſſe nequeunt, niſi ab accidente aliquo, puta: Pharmacopæi culpa, vel vitio Ægri, vel Humorum noſtrorum vitio, aut intempeſtiva Applicatione, mala reddantur & invertantur.

XXVIII.

Prima Culpa malæ & contrariæ operationis medicamentorum, in tantum reſpicit Pharmacopœum, in quantum ab illo vel dolo, (quod quidem non ſemper ſperandum) vel inſcio, vitiata venundantur medicamenta. Male enim agit Pharmacopœus, qui ipſe præparationes medicamentorum non adminiſtrat, ſed lucri cauſa nimis fidet impoſtoribus, hæcce jam parata viliori pretio in copia offerentibus vendibilia, qualia interdum ad pondus aggravandum inutilibus & noxiis miſta, ſi deinde componendis admiſcentur, è medicamentis alias laudandis, nunc condemnenda conficiuntur, quamobrem non immerito Hoffmannus in Clave ad Pharmacopiam Schrœderi cum aliis cordatis Medicis indefeſſe monet mercurium ſublinatum ante præparationem Cinnabaris antimonii accurate eſſe examinandum, an Arſenici quid admiſtum habeat, quo ſœpius adulterari ſolet, ne ſc. ex egregio illo Anti Epileptico, Epilepticum conficiatur.

Vel etiam illicitum illi eſt ſecundum vulgare Proverbium, una fidelia

delia duos dealbare parietes, ſeu uno Proceſſu, duo vel plura medicamenta una proferre, puta talia, quæ ſeparatam præparationem requirebant: quando v. g. ſub deſtillationem Clyſſi antimonii, ſimul antimonium Diaphoreticum obtinere vult, quo vero maxime errat, notante enim Wedelio, nec ſulphur antimonii ſuperficiale, deflagrari in clauſa Retorta poterit, nec calcinatio prompta erit, quoniam ignis fuſorius non Calcinatorius Deſtillationi Clyſſi applicatur, quo dum funditur materia, non ex antimonio, Diaphoreticus, ſed Croco Metallorum aut vitro antimonii ſimilis pulvis paratur.

Nec prædicandum ſtudium nonnullorum, qui elegentiæ gratia aut ad medicamenta diutius conſeruanda, noxia in præparatione iis adjungunt, qui ſcl. ſublimandis floribus ſulphuris vitriolum commiſcent, ad flores albidiores obtinendos, aut ſolutioni ſalis tartari, alumen addunt ad Cryſtallos majores obtinendos, aut ſalia alkalia volatilia à deliquio hiſce præſervare ſtudent, talibus enim medicamentorum vires enervantur, aut degenerant illa in tertium virtuti ipſorum plane contrarium, ſcl. ex aperientibus, expectorantibus, potius adſtringentia, coagulantia, & pectori noxia evadunt.

Sic & nonnullorum peruerſus mos eſt, qui, quando à Medico præſcripta parata non habent, alia medicamenta ſubſtituunt, ſecundum eorum judicia, veris æquipollentia, cum tamen medicorum intentionem ignorent, nec ſemper congruat, quid pro quo ſupponere, quoniam medicamentorum qualitas diſtincta eſt, quare non idem erit, pro uno mercurio alterum eligere, cum ruber albo gradu agendi ſuperet, aut loco aquæ deſtillatæ cum vino, ejusdem ſpeciei aquam ſpiritu vini deſtillatam l. aquam vitæ dictam mixturis addere, quemadmodum enim priori, leniter confortamus ventriculum debilem, aut febre exhauſtas vires blande refocillamus, ita poſteriori, ventriculum ſic conſtitutum exæſtuamus, febricitantiumque Phlogoſes augemus.

Pariter nec medicamenta per aliquod annos in officinis aſſervata ſicque putrida, acida, rancida reddita, ut ſunt ſucci, ſacharata, oleoſa, aut quæ tractu temporis corioſa fiunt ut radices, deſideratam opem ferunt, ſed gratia eorum demulcendi, l. purgandi vis, perit & contrariorum inaniumque effectuum cauſæ fiunt.

Poteſt etiam error à Pharmacopoeo committi, quando medicamenta ipſius præparationi commiſſa, in inconvenientibus vaſis miſcet vel aſſervat, v. g. ſi vellet acidiuscula metallicis vaſis ſubigere aut aſſervare, efficeret, ut medicamentum refrigerans vel adſtringens, indueret naturam metallicam rodentem

quemadmodum Ettmüllerus Doctrinæ Practicæ Part. I. Pag. 106. observavit ex usu aceti, plumbeo vase asservati, Dysenteriam productam, quam & Lindanus notavit ex usu pluviæ stillatæ è Canalibus plumbeis tectorum, à præcedente diurna siccitate efloratis. Sic & terrea duriuscula, forti contritione alcoholisanda, quando in cupreis vel plumbeis mortariis tunduntur & circumgyrantur, scabritie sua de lateribus vasis semper quid abradunt, indeque nigrescunt, quæ deinde magistralibus mista, & pro scopo corrigendi exhibita, vomitum insperato procreant; ut enim nudo sacharo, vermium communi pabulo, verum antihelminticum paramus, illud scl. absque ullo addito in mortario plumbeo ad nigredinem terendo, qualisne contraria vis indueretur, tali modo leviori attactu metallis contaminabilibus.

Accidit quoque interdum incuriâ, ut á Pharmacopœorum ministris, pharmaca nonnulla deprompta, inordinatis pyxidibus reponantur, quibus tertius superveniens, magis ad inscriptum nomen pyxidum quam ad contenta attendens, lethalia medicamenta componit vel quando pluribus administrandis occupati, non ad singula attenti sunt, & festinando minus bene characteres formularum animadvertunt, sed æquivoca arripiunt, venenosa interdum pro non venenosis, quam negligentiam, miseri decumbentes, postmodum subitanea morte luere debent, quemadmodum hujus recordor quondam commissi, dum loco Cydoneorum Cinamomisati, Extractum Cydoneorum opiatum porrigebatur, cum subsequente subitanea morte duorum infantum nobilioris familiæ, tertio vix superstite evadente: Quale exemplum & Valentinus in Musæo Musæorum recenset de Pharmacopœo, qui Trochiscos Alhandali loco Trochiscorum Alkekengi vendiderat. Sic si ♉+♎ loco ♉+♒ arriperetur, vel ▽Fort. pro ▽Font. ob characterum aliqualem similitudem.

XXIX.

Secundo, ægri vitio medicamenta optatam non pertingunt metam, ob malam antecessam Diætam, Animi Passiones, & ob Regimen malum post assumptionem. Si enim nuda consuetudine, præter necessitatem, in statu sc. sano, medicamentis abutimur, fit ut ventriculus cum reliquis organis iis assuefiat, quibus deinceps abstinere non possumus, natura autem non modo debilitetur, sed & morbis aperiantur fores, medicamentis urgente necessitate difficile infringendis. Quando nunc multi suasu calendario graphorum, certis anni temporibus, aut monente Helmontio more Rusticorum Brabanticorum, ut strenue in conviviis potare possint, venam secari curant, posthac quando evacuatione sanguinis

guinis opus erit, ad grandes quoſque effectus tollendos, venæſectio iis in efficax eſt, ſecundum Williſ. Pharm. rat. Part. 2, p. 202. imo male ſe habent, niſi Vere aut Autumno vel conſuetis temporibus ſecentur. Sic qui aqua vitæ, & ad nectar illud ſuavius reddendum condimentis aromaticis fortioribus aſſueti nimis ſunt, illiſque ſub ſpecie medicamenti ſtomachici omni mane abutuntur, languentes nullo deinde ſpirituoſo refici poſſunt, ventriculus invalidus erit, ad cibum mediocrem concoquendum, niſi quovis prandio igneum hoc vehiculum aſſumatur, ſpiritus vero animales & vitales hujus calore exaltati, remanente viſcido evaporantur, ut exinde Hydrope correpti, ſub intumeſcentiam corporis deplorent inprovidam ventriculi curam. Alii hoc evitando in contrarium currunt, dum nimium Aquæ Theæ vel Coffee potui indulgent, quo & ventriculum cum inteſtinis flaccidum reddunt, Humores, fermentum ventriculi, Bilem, Succum Pancreaticum, ad Chylum pro ſanguificatione præparandnm & corrigendum aptos, nimium diluendo ineptos reddunt, præſertim quando concoctionem ciborum finitam non expectant, ſed finito prandio ſtatim illum ſuperbibunt, quare poſtmodum, quod longa conſuetudine depravatum eſt, brevi tempore medicamentis reſtitui nequit.

Pari ratione ægri culpa ſæpius fit, quod medicamenta Narcotica ad ſomnum conciliandum, aut in affectibus ſoporoſis acria ad excitandum ſuo non fungantur officio, quando Tabaci ſuffumigio aut pulveri ipſius pro uſu ſternutatorio deditus fuit. Notamus etiam, quod abuſus fumi Tabaci, qui alias ad mitigandos catharrhorum dolores, circa membranas cerebri & dentium hærentes ſuadetur, per abuſum illos potius exacerbet, quoniam ad illa loca ſuctu magis attrahitur ſalſa lympha, & corripiuntur plurimi hocce exceſſu dentium dolore, qui antea illo inmunes erant. Sic qui elegantiæ magis quam utilitatis gratia ſternutatoriis delectantur, glandulas membranæ pituitariæ interiora narium obvelantis, plus obſtruunt, quam ut deobſtruent, quid mirum ſi data occaſione neceſſarium iis incaſſum adhibeatur, ne dicam de excitata crebriori ſternutatione noxia, minimeque ut ſecundum vulgi opinionem ſalutari, ob lethale accidens, à cerebri concuſſione metuendum.

XXX.

Animi paſſiones, quæ ægro inter aſſumptionem medicamentorum obveniunt, multum eorum operationem vel inhibere vel augere poſſunt, ſunt enim commotiones mentis noſtræ, quæ vel è cogitationibus de rebbus præteritis concipit mens, vel quæ illi excitantur, à ſpirituum ani-

malium in opinato motu, orto ab objectis præsentibus vel gratis vel adversis: eaque proinde est lex conjunctionis mentis cum corpore, ut ad certos coporis motus certæ fiant mentis cogitationes, & ad certas mentis cogitationes certi fiant corporis motus. Hæ nunc Passiones, quemadmodum cum reliquis rebus non naturalibus, multum ad sanitatem nostram conservandam vel restituendam tribuunt, ita eadem ex iisdem sæpius læditur, id quod ex effectibus harum commotionum in corpore nostro dignoscitur, quippe si perpendamus, quot genera morborum, vel ira, vel terrore, vel tristitia, causantur, quando sanguis mox ad vitiosam & vehementem ebullitionem excitatur, mox in motu retardatur vel plane supprimitur, pro enata mentis perturbatione. Eadem & ratio est abolitæ vel auctæ operationis medicamentorum; Ut enim morbi, qui fluida & solida corporis nostri invadunt, & destruunt, maxime exacerbantur, ab accedente animi passione, vel fluida per determinatos spiritus ad graviorem excandescentiam stimulante, vel denegando Spiritus, supprimente, vel tolluntur morbi interdum, quando scl. vasis & fibrillis constrictis, fluidis retardatis, rursus redditur agilitas & motus, à blandiori & jucundiori menti accessa commotione, in qua si acquiescat aliquamdiu mens, & spiritus vehementes, ut in furore circum circa rotantes, blandiorem acquirunt motum, vel & segnis cordis & arteriarum pussus, hisce, à mente excitata, commotis, stimulatur. Sic & medicamenta, quanquam nobiliori fine, agunt in solida & fluida nostra, eorumque operatio pari modo ab aucto fluidorum motu, orto ab animi affectibus, stimulatur, aut à coagulatione horum, irrita redditur. Quando igitur ægro exhibentur medicamenta, vel odore vel sapore ingrata, menti sistitur idea aversionis, à commotione insueta organorum horum sensoriorum, aut hujus ideæ repræsentationes adhuc memoriæ inhærent, à re nauseosa antehac assumpta, & occupata est molestis hujusmodi occupationibus, hinc & fauces & ventriculus, qni excipere ingratam rem debent, à mentis inquietudine commoventur quoniam spiritus animales cursum suum ad mentis nutum eo dirigunt, ad causam molestiæ removendam, qua actione & reactione, fastidium vel nausea excitatur, auctaque nausea ventriculus digerre assumpta nequit, sed commotionem tamdiu patitur, donec per ultimum nauseæ gradum vomitum scl. ingesta rursus ejiciat, & licet nondum ingesta sint, nihilominus tamen stimulus ut â rebus assumptis quandoque movetur, quale exemplum legimus, in Bonetti observationum altera Parte, Medicinæ Septentrionalis, qva mentio sit Purgantis, ab audito tantum medicamento pur-

purgante purgati. Sic ut externa objecta sensus moventia, mox invertere mox facilitare medicamentorum vim valeant. Non minus jucundam quam memorabilem Historiam hac de re recensitam, invenimus apud Authorem Gallicum *d' Elite des bons mots & des Pensees choisies*, quæ secundum authoris verba sequens est. *M. d' Aligre, Pere de M. d' Aligre, Chancelier de France, etoit d' un temperament si froid & si difficile à emouvoir, qu' on ne pouvoit le purger. Son Medecin, qui sçavoit bien, que quand les humeurs sont une fois émûes, elles sont capables d' un plus grand mouvement, & par consequent d' être purgées, ordenna secretement, qu' on tacheroit de métre M. d. Aligre en colere, & que dés qu' il seroit emû, on lui feroit prendre sa Medicine. Le valet de chambre de M. d' Aligre ne negligea rien pour faire reusir la chose, Dés la pointe du jour, s' aprochant du lit de son Maître, il en tira les rideaux avec une précipitation capablé de surprendre & de fâcher un homme qui s' eveille en sursaut. Mais M. d' Aligre, sans s' emouvoir, demanda tranquilement; Quelle heure est il? le valet de Chambre ayant manqué son coup, s' avisa de bruler la chemise de son Maistre, & de la lui apporter toute en feu M. d' Aligre toujours froid, se contenta de lui dire Chauffez en une autre. Tout cela ne faisant rien, le valet de Chambre d' un coup de coude, cassa cinque ou six verres de venise; que son Maître aimoit & ce Maître, aussi peu emû qu' auparavant, dit tout doucement; C' est dommage, ils étoient beaux. Enfint le valet de Chambre au desespoir ne s' attendoit plus à rien, lors qu' il arriva un homme, qui avoit une affaire trés épineuse au Bureau de M. d' Aligre. Cet homme étoit vétu de taffetas; & comme il parloit avec beaucoup d' action en defendant sa cause, cette étoffe faisoit une especé de fifflement à l' oreille; qui chagrinant M. d' Aligre, l' impatienta, & lui fit dire tout en colere: Faites taire vostre habit, Monsieur, si vous voulez que je vous écoute. Le valet de chambre voyant son Maitre emu, lui presenta la Medecine, & elle eut son effet* Sic & à Tarantulis morsi, dulci sonitu instrumentorum musicorum ita afficiuntur, ut ad saltum incitentur, usque ad lassitudinem corporis sudoris & veneni expulsionem, certis etiam in Regionibus ideo jam citato authore morem esse creditur, ut balneatores & Barbitonsores frictiones & capillorum præcisiones secundum tonum musicum peragant, non solum ad recreandum animum, sed & tali recreatione sudorem promovendum. Cum igitur tali modo medicamentorum motus facilitent, quid fiet si hæ possiones animi hominem, lenioribus madicamentis facile mobilem, corripiant.

XXXI.

Denique ægri rigimine malo post assumpta medicamenta, horum

quandoque malus & inverſus effectus notatur, quo nimirum ille poſt habito fideli conſilio Medici, neglecta decenti Diæta, corporisque infirmitate, quæcunque appetitui ſuo grata ſunt, corporique magis commoda videntur, libentius eligit, licet noxia valde ſint. Exigit autem regimen moderatum præprimis Quietem & Abſtinentiam, hisce juxta Hippocratis effatum, magni curantur morbi, iisnemque ipſis optatus medicamentorum ſucceſſus maxime promovetur. Quicquid vero malum recrudescere facit, paroxismos febiles ſæpius reduplicat ægrumque de bono ſigno reconvalescentiæ gaudentem, ſubito interdum ſuffocat, intemperantiam & corpori ſubtractam quietem agnoscit; Quæcunque itidem medicamenta repleto ſtomacho aſſumuntur, neque debita & quieta corporis diſpoſitione in operatione foventur, neutiquam præſtanda præſtare poterunt, ſed fatiscunt & curſum debitum non abſolvunt. Quamobrem niſi æger imperatum jejunium attendat, efficit ut medicamenta parua doſi aſſumpta, interpoſitione cibi & potus, per ſe jam particulis ſuis viscidis ſalinis, ſpirituoſis, aut aquoſis, horum vim medicatam deſttuere valentia, nimium à ſe inuicem ſejungantur, vel involuta, organa primarum viarum non afficientia, citius quam par erat eliminantur, aut multo chylo, pro aſſumptorum varietate vario, valde diluta ad loca remotiora inermia deferantur; In quem errorem quoque incidunt, qui largiori quam requiritur vehiculo medicamenta excipiunt, eo enim quo gulam, forſitan ab ingrato relicto ſapore, eluere intendunt, ipſa medicamenta plus juſto diluunt, & cum illo vehiculo ad vias urinarias deducunt, quæ vel in ventriculo aut aliis receptaculis moram longiorem trahere debebant. Nec minus in periculum grave ſe ipſos conjiciunt, qui poſt evacuationem ſanguinis aut humorum, intemperato ſpirituoſorum uſu, corpus reficere intendunt, aut auctam à levi cathartico famen, immodice ſatiant; Tum enim medicamenta brevi ante aſſumpta inique inculpantur, cum intempeſtiva ingurgitatione ſpirituoſorum, ſanguis in vaſis depletis ad vehementiorem motum excitetur turbeturque, flammaque vitalis ſecundum Williſium obruatur, cum ſubſequenti Lipothymia. Novi, ſcribit enim citatus author, quosdam paulo poſt à Phlebotomia, ob potum pleniorem aut liquoris vinoſi ingeſtionem adhibitam, in Leypothymias terribiles incidisſe, quæ per quamdiu, donec ſpiritus vitalis ſemiobrutus denuo emergeret, perduraverunt. Imo & ventriculus majori ciborum quantitate diſtenditur, quam ut pauci ab evacuatione relicti ſpiritus ſufficiant, ad concoctionem tantæ molis juvandam, ventriculique tonum pro neceſ-

ſaria

ſaria diſtenſionis reſiſtentia irrigandum. Ad ſitim extinguendam medicamentis evacuantibus quandoque productam, dum & hæc faucium glandulis ſerum eliciunt, ſi non abſtineant potu frigido, Medicamenta præprimis reſinoſa ſtimulantia, l. ſpirituoſis ſoluta aſſumpta, l. ventriculo demum liquefacta, facile præcipitantur, & quo in loco operationem inceperunt, è poris liquidorum ejecta, obſtructiones inducunt, vel ſi in ventriculo peſſundata, ulterius Chylo miſceri & ſanguini communicari inepta erunt; Humores autem aliqualiter ad motum excitati, gelido tali hauſtu compeſcuntur, inde Colicæ Spaſmodicæ & convulſivæ notantur. Naturaliter & accidit, quod medicamentorum ope humores ad evacuationem parati, non abſque moleſtia ægri excitum quærant, quo tamen mox poſt excluſinem liberantur; ſi nunc talia illum inquietum faciunt, ut corpus ſtragulis, ad expectationem uſque ſucceſſus medicamenti fovere nolit, ſed illud huc & illud jectigando, & liberiori aeri exponendo artus denudet, ſubitanea illa mutatione mox conſtringuntur pori, & omnia nervoſa tendinoſa, fibrilloſa, machinæ corporis contrahuntur, repelluntur que humores jam in actum conſtituti, vis tamen medicamenti intra clauſtra operatur, quo mox majores anxietates perſentiuntur, aut artuum dolores, interdum Paralyſes, ſi ſubitus horror medicamentorum potentiam coercere poteſt, ſi non, ad convulſionem laceſſunt repagularum fibrillas, inde vehementius in conſueto quandoque itinere eruunt.

XXXII.

Sunt tertio humores, qui medicamentorum operationi valdi repugnant, eamque immutant, quatenus nimirum pro menſtruis inſerviunt tot heterogeneis, ſanguini, vel eſculenta interne aſſumpta, vel ab extra, vitioſis aëris particulis aut effluviis morboſorum corporum per contagium communicatis, qualia jam ex parte §. 14. recenſui; Hæcce nunc humoribus ſemper quidem ineſſe non diffitendendum eſt, niſi enim cum lympha & ſalſa, & oleoſa, & Spirituoſa, commiſta eſſent, nunquam requiſita digeſtio & fermentio aſſumptorum rite peragеretur, modo ad haſce actiones obeundas juſta eorum ſit miſcela, illegitima enim ſi illa ſit, nobiliora jam recenſita ad alimenta in ſuccum & ſanguinem convertendi vel remittunt, vel vitioſe operantur, notatur tunc temperamentorum mutatio & morbus, de quo legimus Hippocratem, libro de Priſca Medicina, concinne rationantem. Ineſt enim in Homine, ſcribit author, & amarum & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum & alia infinita, omnigenas facultates habentia copiamque & robur; Atque hæc quidem mixta & temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem

nem lædunt, ubi vero quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſe ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt & hominem lædit: Haſce heterogeneorum qualitates, ab Hippocrate jam eleganter deſcriptas, liquido noſtro ineſſe, affirmat abunde examinata humorum à ſanguine ſecretorum natura. Conſideremus ſaltem ſalivæ limpiditatem, virtutem abſtergentem exſiccantem balſamicam, ejus ſpumam, illiusque copioſiori excretioni virium inſequentem debilitatem, illi, & aquoſum, & ſalſum, & viſcidum & ſpirituoſum ineſſe reperiemus, ſit porro noſtræ conſiderationis fermenti ventriculi acido ſalina, ſucci Pancreatici ſalivæ valde analoga indoles, Bilis oleoſo, aquoſo, ſalino volatilis conjunctio, & reliqua ut acidum, amarum, & acerbum in nobis manifeſta erunt, & quæ non ulterius urinæ analyſi deteguntur particulæ, ſpirituum tamen vigore & dulcedine ita attemperatæ hæ ſunt, ut in ſtatu ſano vix conſpiciantur, noxamque inferant, lædere autem poſſunt, quando ſecundum Hippocratem: ſingula fortiora & natura humana potentiora in fluidis regnant, ut ab ea ſuperari non poſſint; fortius recenſet inter dulcia dulciſſimum. inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum & in omnibus adeo rebus vigorem ipſum ac ſummum.

Hi humores ratione ſalum in iis prævalentium, quomodo medicamentorum operationi contrarientur, aut quando incraſſati & viſcidi, ſunt quomodo eorum vim infringant? facile innoteſcet, ſi attendamus, quomodo medicamenta quoque ex ſalibus oleoſis & terreſtibus petita, caſtrari talibus poſſint? & qui effectus horum concurſu ſe manifeſtent extra corpus commixtorum Huic rei indagatoribus facem præferunt, optimi rerum medicarum gnari Chemici, id circo nonnullas concluſiones, ex experimentis probatis ab ipſis definitas, pro illuſtratione Theſis meæ recenſere proficuum erit. Agnoſcunt nimirum duplicis generis ſalia, alcalia & acida, eaque ut juratos hoſtes, ſubjectis diverſis immiſta, vel ſeſe mutuo contingentia, continuo verſus ſe invicem militantia. Quicquid enim uno figitur ab altero rurſus votiliſatur, & quod ab uno ſolutum ab altero coagulatur, quocunque loco abſconditum unum, ab adverſario ſuo mox detegitur, qui illum in latibulo ſuo adoritur, tanto interdum conamine, ut & intima involucri inter dimicandum permeent & deſtruent, quod, ſi in viſcido contingat, hoc in ſignem molem elevatur, fumusque intra bullas, ut nota contritionis ſalium, eructatur. Unde Chemici non immerito hactenus pro apodictico habuerunt: ab acido ſolutum ab alcali præcipitari & vice verſa: ſuccos vegetabilium ab acido rubeſcentes, ab alcali affuſo, rurſus virideſcere: alcalia vocarunt ſalia reſuſcitati-

va

va. Acrior vero & vehementior conflictus notatur, quando aqua tantum soluta immediate committuntur, tum enim tanto cum sibilo spumantes tumultuantur in vase, ut fumus ascendens & vasculi ardor, de acerrima coitione satis testenrur, imo flammam emittunt, si sulphurei modo quid intercedat, flammam facile concipiens. Hoc autem certamen notabile tum demum ineunt, quando sufficienti copia confunduntur, ut æqualibus viribus agere possint, alias si unum prævaleat, debilem accedentem hostem spernit & compedibus quasi includit. Post insignem hanc luctam, reconciliata quasi, tandem subsidunt, eoque intimius combinantur, quo fortius antehac certarunt, & sal tertium constituunt, corpus durum ex utrisque compositum, difficillime in singula rursus separandum.

Hæc cum ita sint, & salia hæc humoribus nostris in plurimis morbis abundare, eaque ipsa medicamentorum plurimorum vim constituere notum habeamus, facile supputamus rationem, similium phænomenorum intra vasa corporis nostri se manifestantium. Unde scl. mercurii præparata acria, rursus, licet bene ligata & mitigata fluidis nostris commixta, virulentiam recuperent? quare medicamenta fortiora satis voto non respondeant? unde flatus & inflationes ventriculi & Intestinorum Borborygmi, vomitus? à medicamentis minime flatulentis, multo minus emeticis? Unde ardores & æstus insignes, colici dolores, liquidorum nostrorum fermentabilium vis enervata, unde pertinaces obstructiones? à medicamentis deobstruentibus, flatus dissipantibus, anodinis? Salia hæc fortius agere à calore admoto Chemici edocti sunt, quando menstruis hisce compositis, vel simplicibus calefactis, solvenda citius conterunt. Si ergo calida locis dolentibus circa quæ salia hærent applicantur, dolor interdum augetur potius, quam ut fotu tali remittat, quoniam salia sic magis in actum coguntur. Singularis autem nonnullorum acidorum ea est indoles, ut terrea magis vel minus dura, tanta vehementia corradant, quanta in insigni effervescentia observari solet; si viscida, oleosa, salibus alcalicis juncta, arripiant, cum iis abeunt in picem: Talibus ergo medicamentis exhibitis, hisce objectis in corpore occurrentibus, non mitior concursus judicandus erit, licet enim infringatur inde acidi vis; prima tamen illorum coitione acerrima, insueta corpori infertur alteratio, & sedato motu, pessima coadunatio, & in pastam aut offam unam coalitus, unde pertinacissimæ obstructiones, calculorumque concretiones, de quo Tartarus circa dentes hærens testatur, sic & calcis ortus intra juncturas articulorum podagricorum, à synophia acri & viscido. Acida

hæc ut & alcalia, quamdiu phlegmate destituta, aut quiescentia aut coagulata relinquuntur, nullam actionem edunt, quoniam salia non nisi soluta agunt, sic alcalia, in crystallos bene conservata, sulphurea non divdunt, acidorum fortissima concreta, metalla non solvunt, accedente vero humido, operationes facile inchoant, ita ut acida, cum acidis ejusdem prosapiæ magis aquosis, effervescentiam ineant. Apparet inde ratio cur medicamenta blanda, emollientia, fotus humidi aquei, aut quæ ad suppurandum tumoribus multis cum successu adhibentur, tam infensa sint Schirrhis duris? quorum latens acidum in actum cient, dum ligamenta eorum dissolvunt.

XXXIII.

Hisce nunc adductis, male observatis, nititur quarta, quam posui, causa, mala nempe applicatio medicamentorum, hæc est Empyricorum, qui nec ratione nec vera Experientia fundatam medendi methodum profitentur, & nominali saltem tam medicamentorum, quam morborum cognitione gaudent, ideoque infausto successu remedia adhibent: Non autem, in applicatione remediorum concludendum est cum illis, hoc vel illud medicamenti genus, probatum fuit, morbum, hoc vel illo nomine notum curare, ergo & reliquos ejusdem nominis curabit, hoc enim si valeret, unica medicamenti formula, de hærede in hæredem asservata, per omne ævum sufficeret omni individuo, & tota res medica, consisteret tribus vel quatuor remediis. Sed mensuranda medicamenta sunt, secundum qualitatem & quantitatem, quæ unum morbum, variis causis ortum, repellere debent. Quando ergo medicamenta exhibentur, cujus vires ignoramus an scilicet è fortiorum, an leniorum catalogo desumpta sint? aut si composita ex pluribus, quænam in ea compositione prævaleant? ut justam dosin exinde determinare possimus, si extracta sint, quo menstruo dissoluta? aut quorum virtutes nobis ignota sunt, quæ interdum duplices in uno esse possunt, emollientes v. g. & obstruentes, necessario illorum operationes malæ & contrariæ erunt. Sic, si fortiora sint, quo correctore mitiganda? an forma sicca exhibenda, an pilulari melius conveniant, an liquidâ etiam assumi debeant? si liquida? quo humido misceri se patiantur? quæ & alia ignorata, testantur de periculosa medicastorum cura, dum interdum Euphorbio, Helleboro, Scammonio crudo, Mercurio vitæ, aut dulci in pulvere exhibito, Vitro Antimonii nudo pulverisato, &c. diris torminibus, ægrum affligunt Ignorata tali modo Qualitate, ignoratur & Quantitas, sive dosis medicamentorum porrigendorum, quæ non universalis, sed ratione

Qua-

Qualitatis memoratæ per gradus dirigenda est, alias prorsus alienus eorum effectus, v. g. Communns Elixir Proprietatis corrigens est contentorum ventriculi, si dosin ejus augeamus alvum ut Catharticum movebit: Acetum aut acidum vel acido-austerum pro condimento assumitur, si affatim absorbeatur, sudorem extemporaneum urgebit, sic & adstringentia, si non modice assumantur, in evacuantia degenerant, quod alias illorum naturæ contrariatur, contrahunt vero, in copia assumpta, eo validius fibrilllas vasorum & musculorum, unde major influxus spirituum & liquidi copiosior expulsio, quod observatum quondam in fœmina, mensium obstructione laborante, quæ, ab assumptis Granatorum corticibus, fluxum recuperavit. Vinum ad vitrum unum vel alterum haustum, exhilarat animum, restituit vigorem, vomitum cohibet, ad mensuras vero ingurgitatum, vomitum excitat soporem inducit, mentis impotes reddit, ut neque pes neque manus officium faciant. Opium ad granum sumptum evacuationes sistit, ad scrupulum vero abusum, stimulat illas cum vitæ periculo.

Utcunque nunc medicamentorum, sic morborum secundum Qualitatem & Quantitatem incerta cognitio, infidæ applicationis & operationis causa est, pari enim passu, in eo, utraque hæc ambulant; qui enim errat in electione Medicamentorum Cephalicorum, Pectoralium, Stomachicorum, Anti-Dysentericorum, Febrifugorum, Scorbuticorum &c. cum uno tirulo, diversa contraria comprehendantur, errabit & ille, qui, audito morbo quis sit, eum secundum Qualitatem aliorum, judicabit, nulla insuper habita ratione Quantiatis, quoniam è Pathologia examinati, valde a se invicem discrepantes innotescunt. Inde malo sic judicato morbo, causa ejus non attenditur, an Symptomaticus sit, aut qui peccantes humores abundent? Sed ab externis signis aut effectu tantummodo cognito morbo, illotis manibus cura suscipitur, nulla prævia correctione humorum, Evacuantibus cœco ausu tentatur res, aut sistuntur Evacuationes naturales vel alio abducuntur, naturæ motu minime observato, malignitas morbi ad sanguinem revocatur, vel apparens jam Crisis aut imminens ignorantia turbatur, cuilibet ægro promiscue universalia medicamenta obtruduntur, cum tamen omni omnia non conveniant, sed secundum Hippocratem præter morbi notitiam, & ætas & regio & conditio, & sexus perpendenda, an seni sc. an infanti, an maris accolis, aut in mare navigantibus, aut in calidiori Climate degentibus, pari morbo correptis, paria remedia conducant? An mas an fœmina, valetudinarius, tener an rusticus sit curandus? Quantitas

morborum, (è ipſorum temporibus intelligenda) non judicatur, an ſcl. inchoaverint an ad ſtatum jam perventi ſint, an durante morbo, viſcera bene vigeant, an jam flaccida, gangrænoſa vel ſphaceloſa reddita ſint. Tandem & locus ſeu ſedes morbi malè quandoque ponderatur, & quænam nobiliores partes illi ſubjectæ aut adſtantes ſint, vel cavendæ vel defendendæ, in inciſionibus & aplicatione acriorum medicamentorum, quo minori dolore, minori periculo, nullis convulſionibus metuendis operatio peragatur. Quæ quidem aſſerta innumeris exemplis illuſtrare poſſem, cum autem pagellarum anguſtia, omnia quæ in evolvendis obſervationibus expertorum authorum occurrunt, non capiat, ſatis me feciſſe credo, Operationem medicamentorum malam & contrariam ejusque effectus & cauſas adduxiſſe. Cautelæ id circo addendæ, communi canone peti poterunt, quod ſublatis & evitatis cauſis malis idem & ſublatus effectus erit, nec a ſollicito Practico infelix medicamentorum ſucceſſus metuendus, quoties ab illo conſiderabuntur cum Hoffmanno ſequentia, tritis verſiculis expreſſa.

Temperies, ætas, cœli ſtatus, ars rata, morbus
Uſus, cauſa, locus, Symptoma, innata facultas,
Conſimiles morbi, mos, motus, Pharmaca, geſtus.

Summa autem cautela, ſit, ne ſola noſtra experientia freti, de arte gloriemur, quæ ſine Summi Numinis nutu, vana exercetur; Sed quocunque tempore tam ab ægro, quam à Medico, cum voto benedictionis Divinæ, medicamenta adminiſtranda ſunt. Quoties enim Dei auxiliatricem manum non cooperantem habebimus, toties Medicamentorum Operatio mala & contraria erit.

F I N I S.